BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
4 I
7

70
6

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

70. 6. 12.
76 6-3 E 104
D
54

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
IN
VINDICIAS
KEMPENSES

A

R. P. . . CANONICO REGULARI
CONGREGATIONIS GALLICANÆ

adversùs R.P. FRANCISCUM DELFAU
Monachum ac Preſb. Cong. S.Mauri
NOVISSIME EDITAS.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Bibliothe Coll. Rom. Soc. Jesu

PARISIIS,
Apud LUDOVICUM BILLAINE, in Palatio Regio.

M. DC. LXXVII.
Cum Privilegio Regis & Superiorum licentia.

6. 3. E 104

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

Johannes Sareſberienſis in Metalog.
lib. 1. cap. 2.

Utique par eſt ſine derogatione perſonæ ſententiam impugnari; nihilque turpius, quàm cùm ſententia diſplicet aut opinio, rodere nomen auctoris.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES

IN VINDICIAS KEMPENSES, à R. P. . . Canonico Regulari Congregationis Gallicanæ adversùs D. FRANCISCUM DELFAU, Monachum Bened. Congr. S.Mauri

NOVISSIME EDITAS.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

ACCIDIT neſcio quo pacto, ut eximius ac planè aureus ille de Imitatione Chriſti Liber, qui omnium Chriſtianorum animos inter ſeſe conciliare debuerat, litium materiam præbuerit; & inter religioſas Societates duas, hinc quidem Reverendos Patres Canonicos Regulares pro Thoma Kempenſi, inde Benedictinos pro

Digitized by Google

Johanne Gerſene, pugnas excitarit pænè infinitas. Ejuſmodi altercationes, quæ nec veritatem illuſtrant, nec promovent caritatem, redintegrare mihi non eſt animus; malimque eximii Libelli juri atque honori decedere, quàm ejus Auctorem Ordini noſtro pertinaciùs vindicare cum qualicumque diſpendio neceſſitudinis Chriſtianæ. Quapropter etſi inſtaurandæ controverſiæ occaſionem mihi præbeant Vindiciæ nuper editæ in Delfavium noſtrum; eas magnâ ex parte negligere, ac tacitè prætcrire mihi viſum eſt, reputanti ſatis eſſe, ſi in paucula, quę rem propiùs afficiunt, animadverterem.

Anno 1652, cùm ad Judicium Senatus Pariſienſis cauſa per RR. PP. Canonicos Regulares traducta fuiſſet, atque agente in primis Naudæo mſſ. codices Italici, qui Gerſenis partibus patrocinabantur, in falſi ſuſpicionem adducti fuiſſent; fiduciariæ poſſeſſionis titulo ſententia dicta eſt ſecundùm Kempenſes: propterea quòd Italici codices, de quibus lis erat, non eſſent nobis in promtu, ut falſi ſuſpicionem ab iis amoliri nobis liceret. Tandem verò ut tam illiberale falſitatis convicium à noſtris penitus removeretur; ex Italia poſtulati ſunt codices illi, atque ægrè demum impetrati, ad-

vectique in hanc urbem. Tum verò forenſi appellationis viâ poſtpoſitâ in examen adducti, primùm quidem coram illuſtriſſimo Senatus Pariſienſis Principe; poſteà verò coram illuſtriſſimo Pariſiorum Archiepiſcopo, qui facto peritorum virorum delectu, conventum in Ædes ſuas hac de re indixit anno 1671. Tunc ſollemni Inſtrumento non ſolùm viri peritiſſimi, ſed etiam illuſtriſſimus Archiepiſcopus codices Gerſenis comprobarunt, & ab iis falſi ſuſpicionem prorſus removerunt: ac deinde Kempenſibus facta poteſtas coram iiſdem arbitris exponendi codices ſuos: ut collatis utriuſque partis monumentis demum decretoria ſententia, non forenſi quidem more, ſed litterario proferretur. Poſt hæc cùm biennium in exſpectando fuiſſet conſumtum, nec de exponendis codicibus ſuis Kempenſes quidquam curarent; noſter Franciſcus Delfavius Apologiam pro Gerſene edidit, præmiſſo Inſtrumento maximè innixam; eamque ſecundis curis intra breve tempus denuo recenſuit. Cùm autem abhinc effluxiſſent anni tres, controverſia hæc confecta, aut certè exſtincta videbatur: cùm ecce mortuo Delfavio, quaſi cum eo pariter naufragium feciſſet Gerſenis cauſa, in lucem prodiit liber,

cui VINDICIÆ KEMPENSES titulus eſt, non ſemel vulgatus. Has paucis expendere, atque diſcutere juvat.

I.

In primis occurrit titulus, qui his omnino verbis continetur: *Vindiciæ Kempenſes adversùs R. P. Franciſcum Delfau, &c.* Umbratica hæc pugna eſt, cum mortuo luctari. Jam enim menſes decem elapſi ſunt, quo ex tempore freti procella heu! Delfavium abſorbuit. Facilis ſanè de eo victoria, ſed non admodum victori glorioſa. At caſu accidit, ut cùm opus pararetur, è vivis eriperetur Delfavius. Quippe dum Vindex molitur opus, dum illud comit, annus eſt. Atqui triennium jam excidit à Diſſertatione Delfavii. Cur non Vindicias edebat Vindex, dum vivebat Delfavius, dum vigebat valebatque, dum reſpondere ac ſeſe tutari poterat? Reponit R. Pater, Vindicias jam ab hinc biennio confectas, & clariſſimis quibuſdam viris lectas nec improbatas: ſed cauſas differendæ editionis fuiſſe duas. Una erat, quòd in eis Vindiciis manuſcriptorum quorumdam codicum fide & teſtimoniis uteretur, qui codices cùm ex inferiori Germania huc advehendi eſſent, jam diu interclufis ob bella in hiſce regionibus graſſan-

Vind. Præfat.

tia itineribus ſeriùs aſportari potuerunt. «
Altera, quòd licet amicitiâ duceretur, au- «
ctoritate permoveretur, veritate denique «
compelleretur; non niſi tamen invitus ad «
has Vindicias acceſſerit. Quippe qui ſemper «
exiſtimaverit, honorem (quod prudenter «
ait Sapiens) eſſe homini qui ſeparat ſe à con- «
tentionibus. Et quidem Vindicis moroſam «
diligentiam laudo, ut qui bonis litteris levi & inconditâ ſcriptione illudere noluit. Probo etiam modeſtiam & animum à contentionibus alienum, ſi tamen ita, ut præ ſe fert, res habeat. Atqui dum Vindicias ejus volvo & revolvo, nullum codicem mſ. invenio ex inferiori Germania huc advectum; nullum prolatum argumentum, quod à ſuis ſæpiùs recantatum non ſit. Quin etiam ſi totum ejus opus æquis oculis expendas, occurrent loca nonnulla, in quibus Oratoris certé eloquentiſſimi vehementiam obſerves, moderationem aliquando ſentias deſiderari.

II.

Vindiciis iſtis præfixa eſt bene longa Præfatio, in qua auctor fabulæ (ſic vocat) Gerſenianæ ortum, progreſſum & finem exponit; atque Inſtrumentum coram illuſtriſſimo Archipræſule confectum cum Naudæi teſtimonio comparat, & conciliare co-

natur. Tum Vindicias dividit in tres partes. Et in prima quidem Thomam de Kempis librorum de Imitatione Chriſti auctorem eſſe molitur demonſtrare, ab *auctoribus coævis*, ſupparibus, & recentibus, à codicibus mſſ. ab editionibus omnibus veteribus, & recentibus; denique à vita, moribus, genio, ſtilo, & ætate auctoris. In ſecunda diſcutit argumenta, quibus utitur Delfavius, ut probet Thomam de Kempis non eſſe librorum de Imitatione Chriſti auctorem. In tertia porrò Johannem Gerſenem eorumdem librorum conditorem immeritò dici contendit. His omnibus ſi ex ordine reſpondere aggrederer, opus longum ſuſcipere mihi incumberet, & locos jam multoties in medium adductos iterum repetere. Proinde ad rei cardinem attendere mihi ſatiùs viſum eſt, id eſt ad ſollemne Inſtrumentum, quod Delfavius Diſſertationis ſuæ fundamentum, præſidium ac robur ſibi propoſuit, cùm cetera uti appendices adducat. Videamus ergo, quo modo Vindex ab Inſtrumenti auctoritate ſeſe expediat.

III.

Res duas, quæ ad fidem Inſtrumento noſtro conciliandam perneceſſariæ ſunt, in cauſæ noſtræ cognitoribus agnoſcit Vindex,

nempe probitatem ſeu integritatem, ac rei antiquariæ peritiam. Tertium æquè neceſſarium, etſi tergiverſari conatur, admittat etiam neceſſe eſt, ſcilicet maturum ac diligens rei propoſitæ examen. Arbitrorum peritiam atque integritatem laudat his verbis: *Conveniunt etiam*, ſcilicet in illuſtriſſimi Præſulis palatium, *viri doctrinæ fama inclyti, quos litis hujus conteſtandæ arbitros ſoli delegerant* Benedictini. *Non eſt tamen quòd cum clariſſimis viris injuriam ullam expoſtulemus. Functi ſunt hominum proborum officium.* At verò in conſequentibus negat auctor, hos arbitros « quidquam in hac controverſia definiiſſe, aut « de codicibus Gerſenienſibus pronunntiaſſe « quidquam: quos ſi clariſſimis viris examinare « aut vacaſſet, aut libuiſſet; facilè profectò, « pro ſingulari illa rei antiquariæ peritia « quâ præſtant, potuiſſet deprehendi, nimirum « hos codices nequidquam officere Thomæ, « aut Gerſeni adminiculari. *Sed publico* « *inſervientibus*, inquit, *& gravioribus rebus occupatis, non licuit eſſe tam otioſis, tamque imprudentibus, ut bonas horas tam malè vellent perdere.* Quid igitur præſtiterunt illuſtriſſimus Præſul & clariſſimi viri? *Duas*, inquit, *res tum fecère. Alteram, quæ æqui juſtique ſervantium fuit, qua ſcilicet nobis abſentibus cauſam*

in Præf.

dijudicari non poſſe cenſuerunt: alteram, quæ humanitatis colentium, & reverendis Patribus ſine cujuſquam injuria honeſtè urbaneque gratificantium fuit, qua nempe teſtati ſunt, exhibitos ſibi plures mſſ. codices librorum de Imitatione Chriſti, &c. quod ipſe libenter aſſentitur. Bene eſt. Ergo virorum clariſſimorum judicium *ſine cujuſquam injuria* proceſſit. Functi ſunt quippe *proborum hominum officium* viri doctrinæ famâ inclyti, & rei antiquariæ peritiâ præſtantes. Sed iis non licuit eſſe *tam otioſis, aut tam imprudentibus*, ut aliud quid pronuntiarent, quàm exhibitos ſibi plures mſſ. codices librorum de Imitatione Chriſti: cetera in controverſia reliquerunt. Verùm quid ſi maturè ac diligenter mſſ. codices examinarunt? Quid ſi de ſingulis tulêre ſententiam? Quid ſi falſi ſuſpicionem ab eis removerunt? Hiſne omnibus aſſentietur Vindex? Atqui aſſentiatur neceſſe eſt, niſi vel arbitrorum probitatem, vel peritiam, vel maturum examen neget: quod certè negare non poteſt. Et quidem priores conditiones duas, uti præmiſſum eſt, agnoſcit auctor: tertiam non ita.

Atqui conventûs in Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Ædes indicti hæc cauſa atque occaſio fuit, ut res accuratè examinaretur. Sic

enim habent prima inſtrumenti verba. *Anno Domini* M DC LXXI , *die xiv menſis Auguſti, cùm ex mandato illuſtriſſimi D. D. Franciſci de Harlay Pariſienſis Archiepiſcopi nos infra ſcripti conveniſſemus in aula ipſius Archiepiſcopali, idem illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus juſſit nobis exhiberi plures codices manu deſcriptos, in quibus continetur opuſculum de Imitatione Chriſti ; dixitque ſe velle , ut ſuper his ſuffragium quiſque noſtrum ferremus.* Id verò ita præſtitum fuit ; & cum maturo quidem examine ; uti illuſtriſſimus Archiepiſcopus teſtatur his verbis.

FRANCISCUS *miſeratione Divina & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Archiepiſcopus Pariſienſis , ea omnia quæ in ſuperiori inſtrumento expoſita ſunt , bona fide , cum maturo ac diligenti examine, noſtra auctoritate , & in præſentia noſtra facta eſſe teſtamur. Datum Pariſiis anno , menſe & die quibus ſupra.*

Quid ad hæc reponit Vindex ? Jam ſuperiùs ejus verba ac reſponſum retuli, nempe ſi clariſſimis viris examinare aut vacaſſet , « aut libuiſſet mſſ. codices noſtros ; facilè « ab eis pro ſingulari illa rei antiquariæ peri- « tia , qua præſtant , potuiſſe deprehendi eo- « rum falſitatem. Sed publico inſervientibus , « & gravioribus rebus occupatis non licuiſſe «

» tam otioſis eſſe, aut tam imprudentibus;
» ut bonas horas tam malè vellent perdere. Quo te jactas, prudentiſſime Vindex? Teſtatur illuſtriſſimus Archiepiſcopus codices mſſ. *bona fide, cum maturo ac diligenti examine* fuiſſe perſpectos: tu verò ais clariſſimis viris non licuiſſe *tam otioſis eſſe, tamque imprudentibus*, ut in iis examinandis bonas horas tam malè vellent perdere. Ergone *otioſos* atque *imprudentes* appellabis viros clariſſimos, qui teſtante illuſtriſſimo Archiepiſcopo id præſtiterunt? Abſit ut id à te commiſſum iri putem. Si viris clariſſimis, inquis, eos codices examinare aut vacaſſet, aut libuiſſet, facile ab eis pro ſingulari illa rei antiquariæ peritia qua præſtant, potuiſſet deprehendi codicum Gerſenienſium interpolatio ac falſitas. At eos codices examinare viris clariſſimis vacavit, ac libuit; eoſdemque ab omni falſi ſuſpicione vindicare. Idne iterum negare perges? facilis aſſertio.

IV.

De Padolironenſi codice, qui primus Johannis Gerſenis nomen præfert, ita pronuntiant doctiſſimi Arbitri. *Decimus codex Monaſterii S. Benedicti de Padolirone in papyro, præter primum folium membraneum, ſic in-*

ſcriptus : INCIPIT LIBER JOHANNIS GERSEN PRIMUS de contemptu mundi & de Imitatione Chriſti. *In qua inſcriptione ſana eſt omnino ſcriptura in nomine proprio, & nulla falſi legitima ſuſpicio apparet ; neque in ſubſcriptione , quæ in fine codicis primaria manu exarata eſt hoc modo* : EXPLICIT LIBER QUARTUS JOHANNIS GERSEN de Sacramento Euchariſtiæ. *Codex videtur ſcriptus ante annos minimum ducentos.* Mirum quantum ſe torqueat eruditus Vindex , ut ab hoc teſtimonio expediat ſeſe. Huc præfationis bonam partem adhibet in explicanda iſtius codicis fortuna. Sic verò eam fere deſcribit. Nempe hunc codicem Nau- « *Præfat.*
dæo exhibitum Romæ , qui in ejus titulo «
quamdam inverſionem ac præpoſterum or- «
dinem deprehendit ; & rubricam magis «
ſplendentem, adeoque lituras prioris cujuſ- «
dam ac vetuſtioris tituli, cui recentior ſu- «
peradditus ſit : Naudæi porrò ſententiæ «
dominum *Floraventes* , ac Benedictinos «
duos, Placidum & Johannem, acceſſiſſe : «
poſtea verò doctiſſimum Launoium qui à «
Benedictinorum partibus tunc temporis ſta- «
bat (& verò ſtat etiam nunc , firmum cau- «
ſæ Gerſenianæ columen ac præſidium) «
idem ferè in eo codice obſervaſſe, & ſcri- «

Digitized by Google

„ pſiſſe eam lituram haud paullum ſupra no-
„ men Gerſen fuiſſe porrectam. Tum horum duorum teſtimonia cum Arbitrorum noſtrorum auctoritate comparat Vindex in hunc
Præfat. modum. *Hanc virorum clariſſimorum relationem veriſſimam eſſe nullus dubito: ſed ita tamen, ut quæ à Launoio, Naudæo, Floravente, immo & à Caëtano, Placido & Iohanne Benedictinis, de fraude & corruptela hujus codicis tam in inſcriptione ſua, quàm in ſubſcriptione tam candidè & tam certò referuntur, pro falſis habere non poſſim.* Mirum ſi tam pugnantia conciliare poſſit Vindex. Id verò
„ tentat duobus modis. Primus eſt, anno 1641,
„ quo codex à Naudæo examinatus eſt, re-
„ centem fuiſſe codicis titulum, *Liber Iohan-*
„ *nis Gerſen primus*, magis ſplendenti rubrica
„ exaratum, quàm ſequentia verba. Interje-
„ cto decem annorum ſpatio, id eſt anno 1652,
„ quo tempore codicem hunc examinavit
„ Launoius, rubricam jam non ita ſplenduiſ-
„ ſe; ac demum interjecto viginti & ampliùs
„ annorum ſpatio, quot interjacent ab anno
„ 1652 ad annum 1673 (corrigendus hoc loco
„ calculus) quo tempore à viris clariſſimis
„ codex ille examinatus eſt, jam ſplendorem
„ minii & rubricæ in hoc ſuperinducto titu-
„ lo diuturnitate temporis dilutiorem factum,

ita fuiſſe imminutum, ut vel ab oculatiſſi- «
mis fraus ipſa detegi non ampliùs potue- «
rit. Arguta ſanè & ingenioſa conciliandi «
ratio: ſed non minùs ingenioſa altera. Nem- «
pe codicem qui Naudæo Romæ exhibitus «
eſt, alium fuiſſe ab eo, quem Pariſiis vidit «
Launoius; atque etiam alium ab his duo- «
bus fuiſſe Padolironenſem codicem, qui an- «
no 1671 clariſſimis viris oſtenſus eſt. Utrumque hunc modum faciliùs refellas, quàm invenias.

Ad primum quod attinet, illud in primis animadverſione dignum eſt, quòd imperitiam arguat in eruditis cauſæ noſtræ cognitoribus, qui de minii ac ſuperinducti tituli novitate dijudicare non valuerint. Deinde *pag. 201.* quòd malæ fidei crimen Benedictinis imponat, ut qui dolo malo totos viginti annos codicem Padolironenſem exhibere diſtulerint, quoad imminuto ſuperinducti minii ſplendore fraus interpolatoris detegi non poſſet. Verùm, ut accidere ſolet iis qui falſa in alios confingunt, ſuis ipſe verbis capitur Vindex. Nam præterquàm quòd minii ſplendor intra tam breve annorum ſpatium dilui non poteſt, cum in annos uſque 800 perdurantem quotidie in mſſ. codicibus inſpiciamus; certè ſi novi tituli ru-

brica ſuperinducta intra viginti annorum ſpatium imminuta eſt, tantumdem etiam de ſplendore aliorum verborum, quæ minio dilutiori exarata erant, detractum fuiſſe fatendum eſt: adeoque tantum ex æquo diſcriminis inter priorem rubricam novi tituli, aliamque ſequentem reſidere neceſſe eſt ad hoc uſque tempus, ut vel fraus, ſi qua umquam fuiſſet, diſſimulari non poſſit. At verò nihil horum clariſſimos Arbitros à pronuntianda ſententia revocavit, quin incunctanter aſſererent, in codicis Padolironenſis *inſcriptione ac ſubſcriptione*, quæ utraque Johannis Gerſen nomen exhibet, *ſanam eſſe omnino ſcripturam in nomine proprio, & nullam falſi legitimam ſuſpicionem in eo apparere.* Quidquid ſit ergo de judicio Naudæi, cujus animæ optimè conſultum precor, nullo modo conferendum eſt cum auctoritate illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis, & cum teſtimonio clariſſimorum virorum, qui hunc codicem àb omni fraude immunem eſſe cenſuerunt. Et certe parum accuratum fuiſſe Naudæi judicium agnovit oculatiſſimus vir Johannes Launoius, qui allata à Naudæo falſitatis indicia in codice Padolironenſi non deprehendit: ſed tantùm advertit quamdam maculam in nomine *Johannis*,

hannis, quæ ad vocabulum *Gerſen* non porrigebatur; ſed haud paullùm ſupra; inviolato nomine proprio *Gerſen*. At verò nulla in Johannis nomine interpolationis legitima cauſa afferri poteſt: quandoquidem in fine primaria manu nomen *Johannis* adſcriptum eſt citra ullam lituram, ſicut & nomen *Gerſen*, tam initio, quàm in fine.

At, inquis, alius eſt codex Padolironenſis Naudæanus, alius itidem Launoianus ab eo quem clariſſimi viri recens examinarunt. Verùm etſi id conceſſero, quid inde inferet Vindiciarum auctor? Sint tres ſanè codices Padolironenſes. Aſt negare non poteſt, quin Johannis Gerſen nomen præferant. Sanè quin tertius ab omni interpolationis labe immunis ſit, negare non poteſt, niſi turpe convicium inferat clariſſimis viris. Dicetne tertium hunc à nobis fabricatum eſſe? Calumnia hæc erit, in clariſſimos viros æquè redundans, qui falſi codicis impoſturam detegere non valuerint poſt maturam ac diligentem ejus inſpectionem.

Verùm has argutias dimittamus, concedamuſque id quod res eſt; non tres, ſed unum eumdemque eſſe codicem Padolironenſem, qui Naudæo, Launoio, & clariſſimis arbitris viſus eſt, ut patet ex adjuncto

Johannis Gerſonis Cancellarii Pariſienſis epitaphio, quod in eo codice olim deprehendit Cajetanus. Fallor, ſi non hinc triumphum acturus ſit Vindex, qui ex hoc epitaphio mira colligit pro ſua cauſa. Sed abſit, ut ob id quidquam diſſimulem ad obſcurandam veritatem. Fateor itaque in codice Padolironenſi exſtitiſſe, atque hactenus exſtare Johannis Gerſonis epitaphium. Sed quæ de eo ſcribit Vindex, ejus generis ſunt, ut ſi impacti criminis reus ſit Cajetanus, omnium proborum odio dignus ſit, & ex ſcriptorum fide dignorum claſſe exturbandus: ſin contrà, Vindex ſubornatæ calumniæ culpam effugere non poſſit. Age rem expendamus, & Vindicis accuſationem cum Cajetani dictis conferamus. Rei certè gravitas exigit, ut Lectorem tantiſper diſtineam hoc loco.

Accuſationem hanc inſtruit Vindex duobus in locis, ſcilicet in Præfatione ſua, & in part. 3 cap. 2. Accuſationum capita hæc

Præfat. » ſunt. Primum, anno 1618 (quo nempe tem-
» pore Patres Benedictini nullo tunc urgente
» adverſario, à quo ſibi cavere deberent, can-
» didiùs & ſecuriùs loquebantur) ſcripſiſſe
» Cajetanum, in hoc Padolironenſi codice
» *manu primaria*, *in fine* tunc contineri epita-
» phium, quod Johannis Gerſonis re vera eſt.

Secundum, in illo epitaphio nomen *Gerſon* in «
Gerſen; & vocem *Cancellarius* in *Conſolarius* «
craſsè immutata fuiſſe. Tertium, anno dein «
1630, urgente adverſario, cùm tandem ani- «
madverteret Cajetanus, ſimpliciùs & im- «
prudentiùs à ſe factum eſſe, qui epitaphium «
iſtud in fine codicis hujus exſtare indicaſ- «
ſet, videretque eodem prorſus Gerſenem «
Conſolarium jugulatum iri gladio, quo «
Gerſoni Cancellario vis illata fuerat; epita- «
phium iſtud *planè reſcindi*, & ab hoc codice «
prorſùs evelli debere Cajetanum optimè in- «
tellexiſſe. *Vnde diligenter cavit, ut non plus* «
in eo exſtaret, quàm umquam exſtitit ille Gerſen «
Conſolarius, cui priùs inſcribebatur. Quartum «
ex his porro infert Vindex, nempe idem vi- «
tium contigiſſe in hujus codicis inſcriptione «
& ſubſcriptione, in quibus hæc vox *Gerſen* «
modò legitur. «

Primum accuſationis caput partim verum, partim falſum eſt. Scripſit quidem Cajetanus in codice Padolironenſi exſtitiſſe hoc epitaphium: ſed non *in fine*; neque *primariâ manu.* Quod utrumque de ſuo addit accuſator, ut mox ipſius Cajetani verbis demonſtraturus ſum.

Secundum caput interpretatione indiget. Aut enim hanc immutationem nominis

Gerſon in *Gerſen*, & vocis *Cancellarius* in *Conſolarius* à Cajetano perpetratam fuiſſe ſentit, (ut mihi quidèm videtur;) aut ab aliquo alio ante Cajetanum. Si ſecundum: ergo ſententia, aut (ſi malit) error de Johanne Gerſene jam obtinuerat ante Cajetanum: quem tamen fabulæ Gerſenianæ auctorem ubique appellat Vindex, idque Præfationis atque Vindiciarum ſuarum veluti fundamentum ſtatuit. Si primum: falſi convincitur ex ipſis Cajetani verbis, quæ primum etiam accuſationis caput penitus labefactant. Sic enim Cajetanus in Concertatione ſua edita anno 1618, quod ipſum commiſſi flagitii tempus fuiſſe docet accuſator, diſertè ſcribit. *Ad hæc ut perpendat etiam Lector, (quod de hujus libri auctore ſæpiùs memini) æquivocationem fuiſſe factam inter Johannem Gerſen Italum, & Johannem Gerſon Gallum, non inter hunc & Thomam à Kempis Flandrum, legat ille ſepulcralem Johannis Gerſon Galli inſcriptionem, quæ in jam allato mſ. codice habetur, noſtro autem Johanni Gerſen Italo ob nominum ſimilitudinem omnino tributam.* Ex his manifeſtè intelligitur, Cajetanum in ea fuiſſe ſententia, epitaphium hoc eſſe Johannis Gerſonis Galli, ſed propter nominis ſimilitudinem Johanni Gerſeni tributum: &

ob eamdem cauſam Johannis Gerſenis librum Johanni Gerſoni Gallo fuiſſe adſcriptum. Non ergo ita alucinatus eſt Cajetanus, ut in gratiam Johannis Gerſenis vitiaret hoc epitaphium, quod Johannis Galli eſſe intelligebat. Neque certè ſcripſit epitaphium iſtud *primaria manu* exaratum eſſe, aut *in fine* codicis contineri, ut habet accuſatio prima.

Tertium etiam accuſationis caput ruit ex ſola inſpectione codicis Padolironenſis, in cujus initio, id eſt in primo folio vacuo, epitaphium iſtud eatenus comparet, annis ampliùs centum à ſcripto codice adjectum. Itaque falſum eſt quod idem epitaphium à Cajetano detractum fuiſſe criminatur accuſator. Ex quibus intelligitur, id quod de codicis Padolironenſis inſcriptione & ſubſcriptione aſſerit Vindex, ea fide accipiendum eſſe, qua Cajetano falſas calumnias imputavit. At veriſſimum eſt, quod Cajetanus ex illo epitaphio inferebat, videlicet Johannis Gerſenis libros de Imitatione ob nominis affinitatem adſcriptos fuiſſe Johanni Gerſoni Gallo: cujus ſimiliter epitaphium neſcio quis Johanni Gerſeni falſò attribuit, & ſupina ignoratione pro *Cancellarius* ſcripſit *Cumſolarius*, non capiens quid ſcriberet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Ceterùm ex hoc inſani ſcriptoris errato nihil ſani elici poteſt contra hujus codicis inſcriptionem ac ſubſcriptionem, (ut ſapienter adverterunt arbitri,) quæ utraque nomen Johannis Gerſen præfert citra legitimam falſi ſuſpicionem. Certè ſi qua ſupereſſe poſſet ſuſpicandi falſi ſpecies, id dicendum eſſet de nomine Johannis, in quo labecula quædam apparet, non in nomine Gerſen, ut optimè Launoius advertit, quod ab omni litura & macula tam initio, quàm in fine immune eſt. Atqui Johannis nomen etiam à primario ſcriptore exaratum fuiſſe perſpicuum fit tum ex ſubſcriptione, quæ nomen Johannis integrùm repræſentat; tum ex adjuncto Johannis Gerſonis epitaphio, quem epitaphii ſcriptor non alium à Johanne Gerſene fuiſſe falſò opinatus eſt, prona quidem errandi occaſione, qua factum eſt, ut nominatiſſimus vir Johannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis cum Johanne Gerſene poſteris ignoto confunderetur. Porrò hæc litura (ſiquidem vera eſt Naudæi divinatio) inde mihi accidiſſe videtur, quòd cùm Notarius nomen Johannis malè primò ſcribere adorſus eſſet hoc pacto *Jho*, id continuò tantiſper deletum ſplendidiori rubrica emendare curavit. Ceterùm hæc ſplendidior

rubrica, quæ in primo titulo deprehenditur, non magis officit inſcriptionis integritati, quàm in prima littera contextûs, *Qui:* ubi littera *Q* magis ſplendenti minio, quàm ſecundus tituli verſus, picta eſt. Hæc dixerim illuſtrandæ tantùm veritatis causâ. Nam huic defendendæ ſufficit peritiſſimorum virorum judicium, qui à codice Padolironenſi omnem falſi ſuſpicionem removerunt, ſuffragante in primis celeberrimi Doctoris Johannis Launoii teſtimonio, ad calcem hujus libelli referendo: quo quidem teſtimonio abuſus eſt Vindex in Præfatione ſua.

V.

Verùm quantumvis ea quæ de hoc codice vir religioſus ſcripſit, à veritate recedant; ſi tamen cum iis, quæ de Sluſiano & Aronenſi ſubdit, comparentur, quamdam ſanè veri ſpeciem habent. Nam quæ de his duobus poſtremis codicibus comminiſcitur, mera certè effugia ſunt, facili negotio refellenda. Demus enim vitioſum eſſe codicem Padolironenſem: quid ad alios duos reſponſurus eſt? Eum hac de re ſuis loquentem verbis audiamus. *Quemadmodum hic,* *pag. 201.*
nempe in codice Padolironenſi, *pro* Gerſon, Gerſen; *& pro* Cancellarius *turpi & craſsâ corruptelâ* Conſolarius *repoſitum eſt: ita reli-*

quos mſſ. omnes codices in quibus nomen Iohannis Gerſen jam legitur, haud dubiè ſimiliter vitiatos ac corruptos eſſe, & olim nomine Iohannis Gerſonis inſignitos fuiſſe; ſed litteram o *in voce Gerſon, corruptoris alicujus manu exiguâque gladioli alicujus opera in* e *fuiſſe immutatam, quis non facilè deprehendat? Unde prorſus Aronenſis & Sluſiani codicis, qui nomen etiam Iohannis Gerſen præferunt, fides labefactatur.* Quo te proripis, acutiſſime Vindex? Non facilè hinc exibis impunè. Tuo quippe *gladiolo* tibi ipſe vim facis. Ergo te judice in Sluſiano codice littera *o* in *e* corruptoris alicujus manu, exiguâque gladioli alicujus operâ immutata eſt? Primò injuriam facis eruditiſſimis viris, qui diligenti examine præmiſſo nullum in eo mutationis aut corruptionis veſtigium deprehenderunt. Deinde æquè injuriam facis illuſtriſſimo Prælato Johanni Gualtero Sluſio, SS. D. noſtro Papæ à Brevibus Secretis, qui hunc codicem pecuniâ emtum nobis donavit, ſubſcriptionis integritatem teſtimonio ſuo roboravit. Præterea codex iſte, neque Cajetano, neque ullis (quos ſciam) Benedictinis ante annum 1674 viſus eſt. Certè à nemine hactenus ante Delfavium in his controverſiis productus atque laudatus:

denique à privato quodam homine coëmtus per illuſtriſſimum Sluſium. Vide ergo, ne cùm interpolationis fraudem in eum codicem irrepſiſſe dicis, hoc crimen in integerrimum Prælatum (quod abſit) refundas. Hîc verò mirari ſubit inſignem (ut mitiùs loquar) Vindicis confidentiam, qui cùm Sluſianum codicem non viderit, neque ullus è ſuis; temerè corruptionis labem ipſi affingit. Hujus criminationis falſitatem ex ore illuſtriſſimi Sluſii, qui ſanus (gratias Deo) hactenus viget ac incolumis, reſcire poteſt; & verò jam reſciêre quidam ipſius Sodales, qui verum diſſimulare nolent.

VI.

At quamvis Sluſiani codicis ope deſtitueretur Gerſenis cauſa, ſanè revincendæ Vindicis calumniæ unus ſufficeret codex Aronenſis. Si enim aliquando vitiati ſunt codices, Johannis Gerſenis nomen exhibentes; id certè poſt natam hac de re controverſiam factum oportuit, id eſt poſt annum 1616, quo anno Cajetanus controverſiam aperuit. Atqui codex Aronenſis ab anno 1579 eſt penes reverendos Patres Societatis Jeſu Collegii Aronenſis in Ducatu Mediolanenſi, neque hactenus ejus copia à nobis impetrari potuit. Proinde interpolatio

» hæc fieri non potuit poſt id tempus, quo
» Andreas Maiolus, cùm Genuâ proficiſce-
» retur Aronam ad domum Societatis Jeſu, ut
» in eam admitteretur; eum codicem in do-
» mo paterna repertum detulit ſecum, atque
» Aronæ reliquit. Certè ipſe Maiolus teſta-
tur, iſtuc ſe attuliſſe codicem mſ. de Imitatione Chriſti *ſub nomine Iohannis Abbatis de Geſſen ſive Gerſen.* Exſtabat ergo in eo codice nomen Johannis Gerſen anno 1579. quo anno undecennis erat Cajetanus. Neque verò corruptionem ante id tempus in eum irrepſiſſe Vindex cauſari poteſt, ut pro *Gerſon* adſcriptum ſit *Gerſen.* Id enim planè falſi convincit *Abbatis* nomen, quod Johanni Gerſeni in eo codice tribuitur. Sic enim legitur tam initio, quàm in fine. Initio quidem in hunc modum. *Incipiunt capitula primi libri Abbatis Iohannis Gerſen.* Et in fine. *Explicit liber quartus & ultimus Abbatis Iohannis Gerſen.* Quin etiam ad ſingulos libros nomen Johannis Gerſen Abbatis apponitur. Itaque falſiſſimum eſt, quod objicit Vindex, in codice Aronenſi nomen *Gerſen* pro *Gerſon* fuiſſe ſubſtitutum: cum Abbatis dignitas Gerſoni Cancellario Pariſienſi convenire non poſſit.

Ex his porrò confutatur etiam Vindicia-

rum auctor, qui Cajetano fabulæ (ut vocat) Gerſenianæ commentum imputat: cùm longè ante eum, Bernardinus Roſſiniolus ſæculo elapſo, Poſſevinus anno 1606, Cardinalis Bellarminus anno 1613, pro Gerſene ſcripſerint ex fide codicis Aronenſis, non Cajetani, qui nondum hæc de re quidquam cogitaverat. Quapropter animadverſione digna eſt confidentia illa, quâ Vindex ſtatim à limine præfationis ſuæ tam gloriabundus pronuntiat, neminem umquam « in tanta litterarum luce, in hac ſcribendi « & liberè de rebus ſive obſcuris, ſive dubiis « pronuntiandi libertate, quæ poſtremis duo- « bus hiſce ſæculis tam latè obtinuit, reper- « tum eſſe umquam, cui venire in mentem « potuerit, libellum hunc alterius, quàm Tho- « mæ Kempenſis Canonici Regularis fetum « eſſe verum ac germanum. Certe Roſvveidus occaſione Collationum S. Bonaventuræ oppoſitam opinionem ante Cajetanum apud Hiſpanos exortam fuiſſe confitetur; idque argumentum à Domno Petro Manrique Licentiato primùm publicè proditum in libro Hiſpanico de Pænitentia, qui Mediolani anno 1604 apud Marcum Tullium Malateſtam impreſſus eſt. *Roſw. Vind. Kemp. c. 12.*

Nunc veniendum eſſet ad alios codices

mſſ. coram illuſtriſſimo Archipræſule à nobis productos, quorum alii inſcriptione, alii antiquitate ſua Thomæ Kempenſis cauſæ præſcribunt. Verùm in his tribus præmiſſis conſiſtere ſatius duxi, ne in longum protraherentur animadverſiones meæ. Et ſanè codices illi tres dirimendæ controverſiæ ſufficiunt; moviſſentque clariſſimos viros ad ferendam pro Johanne Gerſene ſententiam, niſi illuſtriſſ. Archiepiſcopus decretum pro ſua æquitate judicaſſet paulliſper differendum, quoad communicato cum reverendis Canonicis Regularibus Inſtrumento, ſpatioque ad exhibendos codices ſuos conceſſo, res controverſa poſſet legitimè definiri. Verùm etſi ſuſpenſa eſt ad tempus arbitrorum ſententia; id tamen pro indubitato aſſerere non dubitarunt, nempe codices qui Johannis Gerſenis nomen exhibent, ab omni falſitate eſſe immunes. Nec eſt quòd ſe neſcientibus & abſentibus id factum conquerantur religioſiſſimi viri. Iidem quippe cognitores, qui ipſis præſentibus eorumdem codicum diſcuſſioni coram illuſtriſſimo Senatûs Principe factæ interfuerant, ad iteratum eorum examen ab illuſtriſſimo Archiepiſcopo delecti ſunt. Unde factum eſt, ut omnes Kempenſium infitias omnino perſpectas habûe-

rint. Quod ſi tantorum virorum auctoritati penitus adquieſcere noluerint reverendi Patres; codices noſtros coram peritis denuo exhibere parati ſumus, dummodo illi ſuos itidem exhibere velint. Quamquam non eſt cur recuſent arbitrorum noſtrorum ſtare judicio: quandoquidem *functi ſunt proborum hominum officium* clariſſimi viri; nec eſt, quòd *injuriam ullam* cum ipſis expoſtulent reverendi Patres, ut eruditus Vindex ingenuè fatetur.

VII.

His tamen omnibus, quæ ex prædicto peritorum virorum teſtimonio in Johannis Gerſenis cauſam compendio retuli, aliiſque conſultò hîc prætermiſſis, opponit auctores omnes coævos & ſuppares ad noſtram uſque ætatem: editiones omnes veteres & recentes: mſſ. codices complures, aliaque argumenta ex operis ſtilo, ac genio petita: quæ omnia Thomam à Kempis (ſi Vindici credimus) horum librorum auctorem eſſe probant.

Æquè Lectorum otio atque meo abuterer, ſi ad hæc argumenta centies repetita, totieſque refutata ex ordine iterum reſpondere vellem. Neque verò hanc provinciam defugerem, ſi non eâ jam ſtrenuè perfuncti eſſent è noſtris Cajetanus, Valgravius,

Quatremarius, ac Delfavius: ex aliis (qui unus multorum inſtar eſſe debet) Johannes Launoïus Doctor Pariſienſis. Auctoribus opponimus auctores, editionibus editiones, vetuſtis codicibus veteres codices: Et quidem auctoribus pro Thoma conteſtantibus opponunntur alii, qui libros de Imitatione Chriſti ante natum Thomam exſtitiſſe probant: opponuntur item exceptiones, quibus Buſchium & Anonymum Vitæ Kempenſis Scriptorem aut ſecunda manu auctos fuiſſe contendimus, aut falſo autographi Antuerpiani, aliove inani fundamento deceptos: propterea quòd exſcriptoris ac librarii notam, quæ in fine codicis Antuerpiani exſtat, pro vero auctoris argumento uſurpaverint. Sic autem habet illa ſubſcriptio: *Finitus & completus anno Domini* M CCCC XLI *per manus fratris Thomæ Kemp.* &c. quæ quidem verba auctorem non referunt, ſed exſcriptorem, uti ſincerè fatetur Vindex. Et tamen cùm hanc ſubſcriptionem legiſſent Auctores nonnulli Thomæ fere æquales; id pro indubitato auctoris indicio facilè acceperunt, eademque facilitate Thomæ ſuo libros de imitatione tribuerunt. Tametſi alii, etiam Thoma vivente, eos adſcripſere S. Bernardo & Gerſoni Cancellario Pariſienſi.

Vind. pag. 26.

Ad veteres editiones quod attinet, antiquiores, quæ Johannis Gerſonis nomen habent, in cenſum Johannis Gerſenis propter nominis affinitatem cedunt. Parum ergo Auctores, nec magis editiones juvant ad hanc controverſiam dirimendam. Itaque eò devenit res, ut ſummum cauſæ periculum ex codicibus ſcriptis pendeat. Promittuntur ex utraque parte veteres codices, alii Thomæ, alii Johannis Gerſenis nomine inſigniti. Hîc examine opus eſt. Nondum producti ſunt Kempenſes, uno excepto Antuerpiano, quod (ut dixi) notam habet, non auctoris, ſed exſcriptoris. Exhibiti ſunt noſtri, id eſt Gerſenienſes, iterum atque iterum examinati à peritiſſimis viris, à falſi ſuſpicione vindicati demum, & approbati. Supereſt ut Kempenſes proferant ſuos, ac peritorum virorum cenſuræ ſubjiciant: ut, facta utrorumque comparatione, lis tandem iſta finiatur. Nihil porro conficient venerabiles viri, niſi exemplaria librorum de Imitatione Chriſti Antuerpiano antiquiora exhibeant. Nam ſi codices illi anno 1441, quo ſcriptus eſt codex Antuerpianus, poſteriores ſint, aut abſque certa temporis nota; in idem, atque auctores Thomæ patrocinantes, recident incommodum; dicemuſque

librarios ſubſcriptione codicis Antuerpiani fuiſſe deceptos. Jactant quidem Kempenſes codicem Mellicenſem unum, Thomæ nomine inſcriptum ab anno 1421. Sed, nî mea me fallit conjectura, non alius eſt ab eo codice Mellicenſi, qui penes nos eſt, eodem anno ſcriptus, at nullum præferens nomen auctoris. Eadem etiam notâ deſtituuntur veteres alii codices Germanici, quos habemus, libros de Imitatione Chriſti continentes: qualis eſt Mellicenſis alter anni 1434, tum Weingartenſis anni 1433, Auguſtanus anni 1437, atque Gerardimontenſis omnium antiquiſſimus, ne quid dicam de codice S. Jacobi Leodicenſis ante annum 1417 (ut colligere licet) exarato, cui non ita pridem Thomæ Kempenſis nomen nonnemo temerè præfixit. Ex quo intelligimus, ante annum 1440 nomen iſtius Auctoris ignoratum fuiſſe apud pleroſque Germanos: quo tempore Italici codices nomine Johannis Gerſenis paſſim vulgati erant. Si ergo alicubi terrarum exſtet codex ante annum 1441 à venerabili Thoma, aliove quopiam exaratus, atque prima Thomæ ipſi manu adſcriptus; hunc vel ſerò proferant, & agitatæ tot modis controverſiæ ſic tandem finem imponant. Sin minus, Thomam ſuum libelli auctorem agnoſcant,

agnoſcant, per nos licet: at nobis, aliiſque pro Johanne Gerſene ſentire concedant. Immo verò in unam omnes conſpiremus ſententiam, nempe ut Spiritum-ſanctum iſtius operis auctorem eſſe credamus; ejuſque genium ac ſenſum in proprios quique uſus convertere contendamus. Sic ceſſabunt lites & altercationes, quæ non ſine magno temporis, tantùm non caritatis, detrimento jam obtinent à pluribus annis, atque utinam nunc demum intereant.

VIII.

Quòd ſi ulteriùs controverſiam protrahere religioſiſſimi viri volent, Benedictinorum qui eos venerantur & colunt, nomini paullò ampliùs parcant: nec ita effundantur in convicia, quæ ſacri libelli ac Chriſtiani animi genium nequaquam ſapiunt. Vindiciarum auctorem ut pro ſua eloquentia & eruditione laudo, ita ſanè probare non poſſum, cùm liberiùs in homines perquàm immerentes invehitur. Præclara eſt quidem moderationis profeſſio, quam edit initio partis ſecundæ. *Si quiſquam eſt,* inquit, *qui placere ſe ſtudeat bonis quamplurimis, & minimè multos amet lædere; in iis ergo certè nomen profiteor meum.* Sed vereor, ne non tam Vindicem hîc loquentem audiam, quàm

Terent. in Prol. Eun. Terentium, ex quo hunc locum auctor delibavit. Neque verò id vitio verti velim: ſed quòd multùm aberraverit ab hoc ſcopo. Non ſolùm enim Delfavium, hominem *pag. 118.* mortuum, liberiùs inſectatur, cùm ait *veritatem, eruditionem, conſtantiam in dictis, uti & prudentiam ejus multùm deſiderari:* quæ quidem, aliaque paſſim in ſecunda parte ac tertia repetit leviſſimas ſanè ob cauſas, quas facilè, ſi res tanti eſſet, dilueremus: ſed etiam ejuſmodi in eum convicia jactat, quæ in omnium noſtrûm redundant injuriam. Mitto quòd Johannis Baptiſtæ Modenæ *te-* *pag. 11.* *ſtimonium Pariſiis nuper confictum* ait in parte 1. quòd Benedictinos *tam contentionum ac* *pag. 198.* *litium avidos eſſe* dicit in tertia parte, *ut quieſcere poſthac non quiverint, ſed adhuc tumultuari, novaſque rixas in re ex ſeſe leviſſima ſerere voluerint.* Nempe hinc factum eſt, ut poſtpoſitâ appellatione ante annos ſeptem amicè convenerimus reverendos Patres Canonicos Regulares, ut hæc altercatio tandem finiretur; & relictâ utrique parti pro ſe opinandi & imprimendi facultate, concordibus animis componeretur: ſed nihil impetravimus: Hæc, inquam, uti leviora mitto. At quale eſt illud, quod habet Vindex in *pag. 204.* tertia parte? *Vbinam exſtat talis Hiſtoriæ*

Vercellenſis? Manuſcriptis inquit, ſcilicet Delfavius, *codicibus continetur. Nempe quia domi facilè naſcuntur; ſemper præſto adſunt adverſario noſtro mſſ. codices aliqui, qui quidvis teſtentur.* Si talem contumeliam nobis impoſuiſſet inimicus aliquis, hanc certè pro Chriſtiana caritate tacitus ſuſtinuiſſem. Nunc verò tale convicium ab homine religioſo, nobiſque & religionis & amicitiæ neceſſitudine conjuncto ingeſtum diſſimulare non poſſum: atque eò magis, quòd nullâ injuriâ provocatus, nullo verbo inclementiori appellatus, id frigidè, non uni homini jam mortuo exprobrat, ſed uni toti, quanta eſt, religioſæ Societati. Si ſic agenda eſt cauſa, jam ultro cedimus, verbiſque feriri malumus, quàm referire. Hæc dixerim, *ne*, quod ait Cyprianus, *jam non verecundiæ, ſed diffidentiæ eſſe incipiat quòd tacemus: & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur crimen agnoſcere.* Ea porro ejuſmodi ſunt, ut *verbo objecta, verbo negare ſit*, ut apud Livium Marcius loquitur. *Cypr. init. lib. contra Demetr.* *Liv. l. 42.*

Unum verò ad elogiorum, quibus afficit nos, cumulum adjicit eloquentiſſimus Vindex, quòd non ſolùm Delfavium & Benedictinos attingit, ſed etiam eruditos & antiquitatis peritos viros involvit omnes. Ait *pag. 189, 190.*

quippe *Benedictinos abhinc ſeptuaginta annis, nullis in hac cauſa ſumtibus pepercisse, nullas provincias non adiiſſe, nullum ex eruditis & antiquitatis peritis viris, quà prece, quà pecuniâ ad ſuas partes non ſollicitaſſe.* Primùm peto atque contendo, ut Vindex (quod certè negare non poteſt) ex omnibus orbis litterarii eruditis viris, vel unum ſolum, quem pecuniâ ſollicitaverint Benedictini, nomine deſignet. Quod quidem ipſi haud grave fuerit, ſi ex his omnibus nullus, quem prece ac pecuniâ non ſollicitaverimus, fuerit prætermiſſus. Deinde poſtulo, an re vera litteratorum quiſquam acceptâ pecuniâ corruptus acceſſerit ad partes noſtras. Iterum urgeo, ut vel unum indicet, & nos perpetrati flagitii reos orbi Chriſtiano exponat: per nos licet. Neque verò clariſſimos integerrimoſque viros, quos illuſtriſſ. Antiſtes ad codicum Gerſenienſium examen delegit, hoc nomine traduci putem. Proferat ergo ſi quos habet alios. Reſponſum hac de re juſtum ac ſincerum peto, & exſpecto.

At fortè Vindicem inflammavit Delfavii cenſura in venerabilem Thomam, quæ (ut ipſi videtur) iniquior eſt. Demus hoc interim. Ideone non modò in Delfavium mortuum, ſed etiam in Benedictinos omnes ex-

candeſcendum erat? An eruditi omnes in jus vocandi? Sic Vindicias homini Chriſtiano ac religioſo agere licet? Miſeranda planè Delfavii ſors & conditio! cui non ſatis ſit undis obrutum eſſe, niſi etiam ab his, quos amiciſſimis & honorificentiſſimis verbis vivens proſecutus fuerat; poſt mortem, ſanè acerbiſſimam & commiſeratione dignam, tam indignè tractaretur. Homo erat Delfavius alicujus inter litteratos nominis, non tam projectæ (ut ſentit Vindex) eruditionis ac diligentiæ: qui acri non minùs ingenio, quàm memoria præditus, in bonis litteris apprimè verſatus, dum ad Eccleſiæ utilitatem ſtudia conferret ſua, emendandis S. Auguſtini operibus repente immoritur. Hoccine bene merenti ob impenſam in Auguſtinum operam ab Auguſtiniano repenſum eſt?

IX.

Sed quid tandem in venerabilem Thomam peccavit Delfavius? Nempe quòd *pientiſſimi ac religioſiſſimi viri memoriam, bonorum omnium quotquot hactenus trium pæne retro ſæculorum ævo exſtiterunt, laudibus celebratam, ipſe primus & unus contumeliis ac probris oneravit.* pag. 177. Factum malè, ſi res ita habet. Sed quæ tandem Delfavii in Thomam con-

tumeliæ? quæ probra? Nempe quòd ſcripſe-
» rit Thomam primis probationis ſuæ annis
» vitæ ſpiritualis ita rudem fuiſſe, ut niſi poſt
» exactum toto ſexcennio ob animi levitatem
» aut tarditatem tirocinium, nuncupandis vo-
» tis idoneus non fuerit; hominem ſcribendi
» legendique dumtaxat peritum; librarium &
» libellionem ita præclarum, ut myriades er-
» ratorum intexerit in ſuis operibus, quæ ne-
» mo grammaticus admiſerit; non in recta
» tantùm ſcribendi ratione aberrantem, ſed
» haud planè capientem quid ſcriberet. Deni-
» que anno ætatis 30, ut potuerit per ætatem,
» certè non potuiſſe per uſum, non per eru-
» ditionem, non per ingenium, ſcilicet libros
» de Imitatione meditari ac componere.

Primò hanc Thomæ deſcriptionem Vindex ex variis Delfavii locis undique corraſis concinnat, ut majorem Delfavio conflet invidiam. quod neſcio an probaturi ſint cordati viri. Deinde Delfavius Thomam, non qualis abſolutè, ſed qualis per tirocinium fuerit, deſcribere aggreditur eo in loco: ubi Thomam præclariſſimo libello, qui totius myſticæ Theologiæ cumulatiſſimam continet ſummam, condendo imparem fuiſſe anno ætatis ipſius trigeſimo contendit. Videamus quid de ſe tum, cùm ſanctæ Agnetis

Delf. pag. 82, & ſeq.

Monaſterium petiit, ipſe Thomas ſcribat. *Ibi*, id eſt in Schola Daventrienſi, *didici ſcribere, & ſacram Scripturam legere, & quæ ad mores ſpectant, devotoſque tractatus audire . . . & quidquid ſcribendo lucrari poteram, in ſumtus communes tradidi.* Quid verò de eo Delfavius? *Scholaris Daventrienſis, qui ſcribere ac legere utcumque noverat.* Hæc ſi probra, ſi contumeliæ ſunt in pientiſſimum Thomam, in eamdemmet culpam incidit etiam Vindex, qui eum *ſæculi ſui barbarie & patriæ peregrinitate infuſcatum fuiſſe* ultro aſſerit. Ad ſummum, quidni librarius dici poſſit is, qui è Daventrienſi Schola, ubi *didicit ſcribere, & ſacram Scripturam legere*, ad Canonicos Montis S. Agnetis profectus, ſcribebat *libros non ſolùm pro domo, ſed etiam pro pretio?* ut tradit Chronici ejuſdem loci continuator. Scribebat autem eo modo, ut ſi quis libros ab illo exaratos cum recta ſcribendi ratione comparet, eum multa in his errata commiſiſſe continuò fateatur. Hæc tamen in ſæculi ejus barbariem, qua teſtante Vindice *infuſcatus* erat, refundere malim, quàm in optimi viri ingenium, quod ipſi haud vulgare fuiſſe ultro aſſentior. Porro ſi quid de venerabili Thoma durius ſubrepſit Delfavio, non dubito, quin ſi hactenus (ô utinam)

Thom. in vita Arnoldi c. 14.

Delfav. p. 84.

Vind. pag. 43.

ſupereſſet, id pro ſua in Thomam ac reverendos Patres caritate emendaturus fuiſſet, ut quivis intelligere poteſt ex his ipſius verbis, quæ Thomæ deſcriptionem conſequuntur. *Hæc à me jactata non ſunt, ut ullam religioſiſſimo Kempenſi labem inuram: ſed ut oſtendam eos longè à veriſimili aberrare, qui eum tam levi ætate*, id eſt annorum admodum triginta, *tantæ lucubrationi animum adjeciſſe putarunt.*

Delfav. pag. 85.

X.

Ad extremum quod ait Delfavius, Thomam *nonnulla quidem reliquo ſuæ vitæ tempore compoſuiſſe opuſcula: ſed quæ ſi cum illo priori comparentur, frigida, jejuna, atque exſanguia videri poſſint*; neſcio an improbaturi ſint æqui rerum æſtimatores. Certè multum ego diſcriminis inter libros de Imitatione, & genuina Thomæ opuſcula deprehendo. Hæc ſunt, *Chronicon Monaſterii S. Agnetis, Sermones ad Novitios in tres partes diſtincti, Tractatus de fideli Diſpenſatore, alius de tribus Tabernaculis, Vitæ quorumdam Piorum*, & ſi qui alii libelli: in quibus modum ſcribendi planè diverſum à libris de Imitatione Chriſti obſervare licet. Denique de ſuperioribus opuſculis Chronici Agnetiani Continuator, qui in anno 1477 deſinit, intelligendus mihi vi-

detur,ubi d. Thoma ſcribit: *Compoſuit varios tractatulos ad ædificationem juvenum in plano & ſimplici ſtilo, ſed prægrandes in ſententia & operis efficacia.* Hæc, inquam, de præmiſſis Thomæ opuſculis, quæ tironibus conveniunt, interpretanda mihi videntur, non de aureo libello hactenus controverſo, qui non ſolùm elementa vitæ ſpiritualis *ad ædificationem juvenum* continet, ſed abſolutiſſimum totius perfectionis Chriſtianæ breviarium. Accedit, quòd hunc librum Thomas ſcripſiſſet adoleſcens, alios jam grandævus: id eſt, à ſummo vitæ ſpiritualis faſtigio inchoaſſet, ut deſineret in rudem ejus delineationem. quod nemo facilè ſibi perſuadeat. Concedamus itaque venerabilem Thomam compoſuiſſe *varios tractatulos*, non ad informationem perfectorum, ſed *ad ædificationem juvenum*, teſtante prædicto Anonymo ejuſdem loci Canonico Regulari: qui annos XXXVIII cum Thoma ibidem converſatus, Buſchio, anonymo Vitæ Kempenſis ſcriptori, aliiſque auctoritate antecellit.

Digitized by Google

INSTRUMENTUM,

In quo mſſ. codices librorum de Imitatione Christi *coram illuſtriſſimo Archiepiſcopo Pariſienſi examinati indicantur.*

ANNO Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, die quartadecima menſis Auguſti, cùm ex Mandato illuſtriſſimi Domini D. Franciſci de Harlay Pariſienſis Archiepiſcopi, Nos infraſcripti conveniſſemus in Aula ipſius Archiepiſcopali; idem Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus juſſit nobis exhiberi plures codices manu deſcriptos, in quibus continetur Opuſculum de Imitatione Chriſti: dixitque ſe velle, ut ſuper his ſuffragium quiſque noſtrum ferremus.

Primus codex.

In primis oblatus eſt nobis codex membraneus, in cujus primo folio præmittitur hæc inſcriptio: *Liber Monaſterii Canonicorum Regularium in monte S. Agnetis Virginis ac Martyris prope Suvollis.* Dein recentiori

manu hæc addita leguntur: *Quem F. Ioannes Latomus Profeſſus Ordinis Regularium in Thrano B.* MARIÆ *propè Herentals, ejuſdem Ordinis generalis Miniſter, facta viſitatione Monaſterii B. Agnetis prope Suvollam, ejuſdem Monaſterii ruinis ereptum, ne penitus interiret, Antuerpiam allatum, Ioanni Bellero amico veteri & fideli D. D. anno ſalutis 1577. Porro Ioannes Bellerus PP. Societatis* JESU *in gratiam ſuorum filiorum, quos eadem Societas Religioſos fovet, lubens donavit Kalend. Iunii 1590.*

Poſtea in proximo folio verſo habetur indiculus eorum quæ in toto codice continentur, in hunc modum:

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.

Regnum Dei intra vos eſt, dicit Dominus.

De Sacramento, venite ad me omnes.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.

Et poſt alia ultimo loco.

Brevis admonitio ab exterioribus, &c.

In fine verò codicis poſt prædictam admonitionem leguntur hæc verba minio deſcripta: *Finitus & completus anno Domini M. cccc. xli. per manus fratris Thomæ Kemp. in monte S. Agnet. prope Zuvoll.*

In libris quatuor de Imitatione Chriſti, qui in iſto codice exſtant primo loco, depre-

henduntur errata non pauca, ex quibus hæc ſint in exempla.

1. Tranſpoſitio libri de Sacramento Altaris, qui cùm in omnibus aliis quartus ſit, in hoc codice eſt tertius, tum in indiculo ſuperiùs relato, tum in ipſa librorum ſerie, incipiens à folio verſo poſt librum ſecundum.

2. Omiſſiones quædam inſignes, ut in lib. 1 cap. 13, fol. 11. poſt illum verſum, *Principiis obſta ſero medicina paratur*, omittitur ſequens ad ſenſum neceſſarius: *Cùm mala per longas invaluere moras*.

Et in lib. 2 cap. 11, folio 35 verſo, *Raro invenitur tam ſpiritualis*, &c. omittitur verbum *invenitur*, quod in margine ſuppletum eſt manu recentiori.

3. Solœciſmi nonnulli: ut in lib. quarto (qui in aliis tertius) cap. 36, folio 94 verſo, *Quod ſi ad præſens tu videris ſuccumbi*, pro *ſuccumbere*, & cap. 55, folio 113 verſo, *ſtips inutilis* pro *ſtirps inutilis*.

4. Lituræ quorumdam verborum, quæ fallente oculorum jactu extra ordinem ſcripta fuerant, ut in lib. 1 cap. 19, folio 15 verſo, *Exercitia & Sanctorum ſuffragia*, tria poſtremò verba minio deleta, quintâ pòſt lineâ leguntur poſt idem vocabulum, *exercitia*, quod repetitum fefellit ſcribentis ocu-

los: & libri 2 cap. 8, folio 31. *Potes citò perdere*, etiam hæc vox *perdere*, quæ poſt tria vocabula ſubſequitur, minio deleta eſt.

SECUNDUS CODEX.

Codex Monaſterii S. Udalrici apud Auguſtam Vindelicorum, in quo præter multa habetur liber primus de Imitatione Chriſti, & in fine hujus libri hæc ſubduntur: *Et eſt finis hujus tractatus ſcripti in Concilio Baſilienſi anno Domini M. cccc. xxxvij. Et ſic cum Dei adjutorio finitus eſt iſte Tractatus per me Georgium de Gottingen, tunc temporis Capellan. in Vviblingen.*

TERTIUS.

Codex Vveingartenſis papyraceus, uti & præcedens, ita incipit: *Qui ſequitur me*, &c. & in fine tertii libri de Imitatione: *Explicit liber internæ conſolationis finitus anno Domini M. cccc. xxxiij. ſecundâ feriâ ante feſtum Aſſumptionis Beatæ Virginis* MARIÆ, *per me fratrem Conradum Oberſperg, tunc temporis Conventualem in Veingarten.*

QUARTUS.

Codex Mellicenſis papyraceus, in quo habetur primo loco *Manuale D. Auguſtini*, *tum Regula vivendi in Monaſteriis edita à B. Hieronymo*. Poſtea *libellus de Reformatione hominis, qui in quatuor partes dividitur. Primus*

Digitized by Google

de Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi. Et poſt hos libros quatuor de Imitatione Chriſti, ſequuntur varii Tractatus Johannis Gerſon, in his: *Conſiderationes ejus xxv de Confeſſionibus audiendis*: in quarum Conſiderationum fine legitur pagina 120, in margine inferiori: *Explicit die Kiliani 34*, id eſt anno 1434. Quod probatur ex Regiſtro nobis oblato librorum ejuſdem Monaſterii Mellicenſis, ſcripto & abſoluto anno 1517. ſic enim legitur in calce Regiſtri: *Scriptum & collectum per fratrem Stephanum Purchkardi anno Domini 1517.* In eo autem Regiſtro recenſetur primaria manu prædictus codex, qui proinde anno 1434 ſcriptus dici debet, non anno 1534, quo jam ante annos ſeptemdecim Regiſtrum erat abſolutum: nec anno 1334, propter Opuſcula Gerſonis quæ in eo continentur ſub numero J 78.

QUINTUS.

In eodem Regiſtro deſignatur etiam alius codex itidem nobis oblatus, in papyro ſcriptus, in quo exſtat primo loco *Tractatus S. Auguſtini de viſitatione infirmorum*: & poſt alia, liber primus de *Imitatione Chriſti*. Tum *Contemplatio S. Bernardi de Paſſione*; in cujus fine hæc ſubſcriptio legitur: *Explicit Contem-*

Digitized by Google

platio B. Bernardi de Paſſione Domini, finita anno xxj. in die S. Iohannis Baptiſtæ, id eſt anno M. cccc. xxj. ob rationem ſuperiùs expoſitam de tempore ſcripti Regiſtri, in quo inſcribitur iſte codex ſub numero D 43.

SEXTUS.

Codex Monaſterii S. Jacobi apud Leodium papyraceus, præter alia continens *librum de Sacramento Altaris*, incipientem ab his verbis, *Venite ad me omnes*, &c. In præcedente verò folio verſo leguntur hæc verba recentiori manu adſcripta: *Anno Domini M. cccc. xvij. xv die menſis Octobris, indutus fui habitum Ordinis S. Benedicti in Monaſterio ædificato in honore Sanctorum Apoſtolorum Iacobi & Andreæ.*

SEPTIMUS.

Codex Saltzburgenſis itidem papyraceus, in quo varii Tractatus, quorum Indiculus initio præmittitur, & in eo Indiculo id legitur, *de Imitatione Chriſti Ioh. Gerſ.* Et in fine libri tertii de Imitatione: *Explicit liber internæ Conſolationis per fratrem Benedictum, die Sabbati ante feſtum omnium Sanctorum, anno M. cccc. lxiij. & ſcriptus Saltzburg Monaſterii S. Petri.*

OCTAVUS.

Codex Monaſterii S. Germani à Pratis,

eleganter in membranis exaratus, hanc inſcriptionem præfert: *Incipit libellus devotus & utilis magiſtri Iohannis Gerſon de imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi.* Et in fine libri quarti ſubditur: *Explicit liber quartus & ultimus de Sacramento altaris anno Domini 1460. 13. Kal. Septembris* Quibus verbis ſubjungitur teſtimonium Caroli le Breton Doctoris Medici Facultatis Pariſienſis, concedentis hunc libellum Patribus Benedictinis Congregationis S. Mauri anno 1652.

NONUS.

Codex Gerardi-montenſis, veteris jamque detritæ ſcripturæ in membranis, unà cum litteris Notarii publici Bruxellenſis, teſtantis factum coram ſe juramentum à R.P. Petro Almaert Monacho ac Bibliothecario Monaſterii S. Adriani dicti Gerardi-montis, viſam ſcilicet à ſe ac lectam in iſtius codicis ultimo folio, quod ante annos aliquot incerto caſu avulſum eſt, ſubſcriptionem in hæc verba. *Hic liber conſcriptus fuit à F. Ludovico de Monte, qui obiit ante annum milleſimum quadringenteſimum.*

DECIMUS.

Codex Monaſterii S. Benedicti de Padolirone in papyro præter primum folium membra-

membraneum, ſic inſcriptus: *Incipit liber Johannis Gerſen primus de contemptu mundi & de Imitatione Chriſti.* In qua inſcriptione ſana eſt omninò ſcriptura in nomine proprio, & nulla falſi legitima ſuſpicio apparet, neque in ſubſcriptione, quæ in fine codicis primaria manu exarata eſt hoc modo: *Explicit liber quartus Iohannis Gerſen de Sacramento Euchariſtiæ.* Codex videtur ſcriptus ante annos minimùm ducentos.

UNDECIMUS.

Codex Allatianus in papyro, in quo præter alia habentur libri quatuor de Imitatione Chriſti, præferentes hunc titulum: *Incipit Tractatus Iohannis de Canabaco de Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi, & dividitur in quatuor libros.* Cognomentum de Canabacò interſcriptum habetur ſupra lineam, ſed tamen eadem manu, eodemque minio.

DUODECIMUS.

Codex Cavenſis optimæ notæ, in membranis vetuſtis eleganter ſcriptus, in cujus prima littera vocis Qui, imago Monachi nigri crucem geſtantis initio repræſentatur. Cujus imaginis exprimendæ occaſio nata videtur ex illis verbis, quæ Auctor ipſe dicit in lib. 3 cap. 56. *Suſcepi de manu tua crucem,*

D

portabo eam uſque ad mortem, ſicut impoſuiſti mihi. Verè vita boni Monachi crux eſt, ſed dux Paradiſi. In hoc codice habentur quatuor libri de Imitatione.

PRO TERTIO DECIMO,

Exhibitum eſt nobis teſtimonium publici Notarii oppidi Aronæ in ditione Mediolanenſi, quo nobis facta fides eſt, exſtare in Bibliotheca Collegii Aronenſis Societatis JESU *quemdam librum antiquum manuſcriptum in charta pergamena, incipientem per literas rubeas, videlicet L, I.* ac deinde ſequi hæc verba: *Incipiunt capitula primi libri Abbatis Johannis Gerſen ſub numero viginti quinque*; & primum capitulum ſic incipere: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Et poſt librum quartum: *Explicit liber quartus & ultimus Abbatis Iohannis Gerſen de Sacramento Altaris.* Lecta ſunt etiam nobis Bernardini Roſſignolii, Andreæ Maioli, Poſſevini, ac Bellarmini teſtimonia de iſto codice Aronenſi, quem *perantiquum* Poſſevinus vocat.

Præterea oſtenſæ ſunt etiam nobis variæ ejuſdem opuſculi editiones primariæ, ſub nomine ſancti Bernardi, una abſque temporis nota, aliæ ſub nomine Johannis Gerſon, una etiam verſionis Gallicæ ſub nomine Thomæ à Kempis facta anno 1494. in

cujus fronte præfigitur monitum iſtud, libellum ſcilicet de Imitatione à quibuſdam eatenus attributum fuiſſe S. Bernardo aut Magiſtro Johanni Gerſoni.

In quorum fidem communi conſenſu hoc Inſtrumentum ſubſignavimus die quinta-decima ejuſdem menſis, anno prædicto.

Subſcripſerunt in originali A. FAURÉ, CAROLUS LE COINTE Congreg. Oratorii Preſbyter, DE VION D'HEROUVAL, DE VALOIS, BALUZE, COTELIER.

FRANCISCUS miſeratione divina & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Archiepiſcopus Pariſienſis, ea omnia quæ in ſuperiori Inſtrumento expoſita ſunt, bona fide, cum maturo ac diligenti examine de noſtra auctoritate, & in præſentia noſtra facta eſſe teſtamur. Datum Pariſiis anno, menſe & die quibus ſupra.

FR. ARCHIEP. PARIS.

De mandato Illuſtriſſimi ac Religioſiſſimi Domini D. Archiepiſcopi.

MORANGE.

Locus ſigilli.

Ego infraſcriptus cùm ab illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo, unà cum viris clariſſimis, delectus fuiſſem ad examinandos prædictos codices mſſ. nec horâ indictâ adeſſe potuiſſem; viſis & accuratè perſpectis iiſdem codicibus, teſtor ea omnia ut in præmiſſo Inſtrumento expoſita ſunt, ita ſe habere.

Du Fresne du Cange.

1668. Die Lunæ vigeſimo ſexto m nſis Martii. *Teſtimonium Rectoris Domûs Societatis Jeſu in burgo Arona.*

IN mei Notarii teſtiumque infraſcriptorum præſentia, & in Studio mei Notarii infraſcripti,

Comparuit admodum R. Pater FRANCISCUS *Paravicinus Rector Domûs Societatis* JESU, *aliàs Abbatiæ Sanctorum Gratiani & Felini burgi Aronæ, Diœceſis Mediolanenſis, & exhibuit quemdam librum antiquum manuſcriptum in charta pergamena, petens litteras teſtimoniales dari ſuper recognitione ejuſdem ad perpetuam rei memoriam: qui quidem liber à me dicto & infraſcripto Notario præ manibus acceptus, viſus & inſpectus, conſpicitur & legitur in primo folio, ubi decernitur tabella capitulorum ejuſdem libri incipiens per litteras rubeas ultimi L, I.*

Deinde ſequuntur hæc verba, videlicet;

Incipiunt Capitula primi libri ABBATIS JOHANNIS GERSEN ſub numero viginti quinque, & primum capitulum ſic incipit, videlicet: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.*

Et ſic de ſecundo, tertio & quarto libro dicti Abbatis Iohannis Gerſen, in cujus fine leguntur hæc verba, videlicet;

Explicit liber quartus & ultimus ABBATIS JOHANNIS GERSEN de Sacramento Altaris.

Qui liber eſt coopertus duabus tabulis ligneis more antiquo; & quæ recognitio fuit à me Notario infraſcripto facta, ſic requirente dicto admodum R. Patre Rectore Societatis JESU *Aronæ, præſentibus teſtibus D.* Carolo *Franciſco Cauzrano Presbytero Domini Bernardini & Cauſidico, D* Johanne *Rampono patre mei Notarii, ambobus habitantibus Aronæ notis.*

Ego Julius Franciſcus *Ramponus publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritate Mediolanenſis Notarius, Collator prædicti D. Cauſidici Iohannis, habitator Aronæ, manuſcriptum librum, & ut ſupra, recognovi, & atteſtor adeſſe ſcriptum ut ſupra; & in fidem Signatum cum monogrammate* Julius Franciſcus *Ramponus.*

Nos I. C. Iohannes Mandegatius Prætor & Commiſſarius Oppidi Aronæ & Obinentiorum, &c. fidem facimus & atteſtamur Iuriſconſultum D. Iulium Franciſcum Ramponum eſſe publicum & legalem Notarium,

Digitized by Google

ejuſque inſtrumentis & ſcripturis publicis plenam adhiberi fidem in judicio & extrà. In quorum fidem, &c. Ex officio Prætorio Aronæ die Lunæ vigeſima ſexta menſis Martii 1668. Signatum I. Mandegatius, & ſigillatum. Et inferiùs ſignatum, Paulus Camillus.

Digitized by Google

TESTIMONIUM
Cl. V. J. G. Slusii.

Ego infraſcriptus fidem facio, quod codex manuſcriptus in quo continentur quatuor libri de Imitatione Chriſti, & in quorum fine minio ſcriptum habetur, Explicit liber de Sacramento Altaris Johannis Gerſen, *Romæ à me pecunia emptus ſit, & datus Patri Antonio Durban Procuratori Generali Congregationis Sancti Mauri Ordinis Sancti Benedicti mittendus Pariſios R. Patri Lucæ Dacherio prædictæ Congregationis Monacho. Datum Romæ die prima Auguſti anni 1674. Subſignavit in Originali*,

Johannes Gualterus Sluſius, Brevium Secretorum Smi D.N.D. Clementis Divina Providentia P. P. X. Secretarius & Prælatus domeſticus.

Digitized by Google

Teſtimonium Clariſſimorum virorum qui Codicem à prædicto D. J. G. Slusio nobis conceſſum ac Gerſeni inſcriptum viderunt.

N*os infraſcripti fidem facimus, viſum à nobis codicem papyraceum ab annis minimùm ducentis manu exaratum, in quo habentur quatuor libri de Imitatione Chriſti cum hoc titulo,* De Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum primum capitulum. *Et cum hac ſubſcriptione in fine libri quarti,* Explicit liber quartus & ultimus de Sacramento Altaris Johannis Gerſen. *Quam quidem ſubſcriptionem primaria manu appoſitam, omnino ſanam & integram eſſe teſtamur, uti etiam nobis conſtitit litteris teſtimonialibus Illuſtriſſimi viri Iohannis Gualteri Sluſii, Brevium Secretorum S. D. N. Clementis Papæ X. Secretarii & Prælati Domeſtici, à quo hic codex Patribus Congregationis S. Mauri commodatus eſt. Datum Lutetiæ Pariſiorum x. Kal. Septemb. Anni M. DC. LXXIV.*

Subſignaverunt in Originali,

Carolus le Cointe Presb. Congreg. Oratorii, Du Fresne du Cange, De Vion d'Herouval, Hadrianus Valesius, De Launay, Stephanus Baluze, Cotelier.

V.C.
JOHANNIS LAUNOII
DOCT. PARIS.
TESTIMONIUM
de codice Padolironenſi ſeu Mantuano.

S*Vr ce ſujet je diray ce que j'ay remarqué dans un Manuſcrit d'un livre de l'Imitation, qui eſt en l'Abbaye de Saint Germain des Prez, & qu'on dit eſtre celuy de* Mantouë. *Le titre eſt tel:* Incipit liber Johannis Gerſen primus, de contemptu mundi & Imitatione Chriſti: *la fin eſt telle:* explicit liber quartus Johannis Gerſen de Sacramento Euchariſtiæ. *Dans cette fin il ne paroiſt point qu'on y ait jamais changé aucun mot, ny alteré aucune lettre. Ce qui paroiſt, eſt ce qui a eſté la premiere fois écrit par le Copiſte. Cela eſtant ainſi, il ne me ſemble nullement croyable, qu'il y ait eu, ny dû avoir aucun changement ni alteration dans ce qui eſt de commun entre le titre & la fin, c'eſt à ſçavoir, en* Johannis Gerſen, *parce qu'il n'y a point de raiſon de changer ou alterer* Johannis Gerſen *au titre du livre, & ne point changer ou alterer*

Johannis Gerſen *en la fin du livre. Ie tiens cela hors de conteſtation raiſonnable. Neanmoins j'ay obſervé trois choſes dans ce titre : La premiere, que ces paroles*, liber Johannis Gerſen primus, *eſtoient écrites d'un rouge tant ſoit peu plus reluiſant que les autres, mais je croy que cela vient ſeulement de ce qu'il y avoit plus de rouge dans la plume lors que ces quatre paroles-là ont eſté formées, que lors que les autres l'ont eſté. Nous voyons par experience que les lettres qui ſont formées avec beaucoup de rouge, ſont plus luiſantes, que celles qui ſont formées avec moins de rouge, quoy qu'elles ſoient toutes formées en meſme temps. La ſeconde, que la ligne du papier ſur laquelle ces paroles*, Incipit liber Johannis Gerſen, *ſont écrites, eſt un peu brunie : Ce qui s'étend juſques au deſſus de la ligne. Mais je croy que cela eſt arrivé par la faute du Copiſte, lequel commençant à écrire, & ayant mal formé les premieres paroles de la premiere ligne, il les auroit effacées avec le doigt, en le traînant au deſſus de la ligne, mais il ne pût pas ſi bien faire qu'il ne demeuraſt quelque tache ſur le papier, où il recommença d'écrire ce que nous y liſons. Quoy que c'en ſoit, il n'eſt pas poſſible de pouvoir dire avec certitude, ce que le Copiſte avoit premierement écrit. La troiſiéme, que cette tache & ſoüilleure de pa-*

pier, quelque qu'elle puiſſe eſtre, va bien au deſſus du mot de Gerſen, *mais elle ne vient point deſſous, de ſorte qu'il ne paroiſt en ce mot, qui eſt* deciſif, *aucun changement, ny alteration. Ce mot eſt tel que l'a écrit celuy qui a copié tout le livre. Ce qui eſt grandement conſiderable, parce que s'il y euſt eu de la falſification à faire, elle euſt dû eſtre faite en ce mot de* Gerſen, *& non pas en celuy de* Johannis, *parce que* Johannes Gerſen *&* Johannes Gerſon *conviennent en ce nom de* Johannes.

Quo tempore, quave occaſione editum ſit à Johanne Launoïo ſuperius teſtimonium, non ab re fuerit hîc obſervare. Anno 1652, die 12 Februarii in Senatu Pariſienſi, ſeu in Camera (quam vocant) Supplicum Palatii Libellorum, Sententia in gratiam RR. PP. Canonicorum Regularium ita pronuntiata eſt, ut libri de Imitatione Chriſti ſub ſolo Thomæ Kempenſis nomine in poſterum imprimerentur. Menſibus aliquot interjectis, liber ampliſſimus pro jure ejuſdem Thomæ, vulgari idiomate, prodiit hoc titulo, *La conteſtation touchant l'Auteur de l'Imitation de I. C.* &c. Liber iſte non magis, quàm Judicium illud, Johannem Launoïum, alioſque

viros eruditos ab ſententia tuendæ Johannis Gerſenis cauſæ demovit. Nam ſub finem ejuſdem anni 1652, Johannes Launoïus vulgavit Obſervationes gallicè ſcriptas, quibus Auctorem iſtum validiſſimè refutavit. In his verò Obſervationibus Launoïanis editum eſt ſuperius teſtimonium de codice Padolironenſi, qui Româ Luteciam Pariſiorum tum recèns advectus fuerat. Supervacaneum eſſet id adnotare, niſi diſertus Vindex, qui oratorio more minima efferre conſuevit, hunc codicem tempore latæ ſententiæ penes nos fuiſſe contenderet, propterea quòd eodem anno ab Johanne Launoïo in Pratenſi S. Germani Monaſterio conſpectus eſt. Quaſi non ſatis fuerit temporis ab initio anni 1652 uſque ad finem, ut iſte codex per id intervallum Româ in hanc urbem transferri potuerit. Et certè rem ita ſe habere conſtat ex ipſo reverendorum Canonicorum teſtimonio, quod in mox dicto Controverſiæ libro nobis ſuggerit Præfatio in hæc verba : *Nous avons auſſi receu nouvelles que les Benedictins faiſoient venir de Rome les trois MSS. dont il eſt fait mention dans la Relation du Sieur Naudé.* Atqui editus eſt hic liber poſt menſem Julium anni 1652, ut patet ex regio Diplomate in ejus editionem conceſſo

Vind. p. 196, 197.

die 8 Julii ejuſdem anni. Nondum ergo tunc temporis codices illi huc advecti erant. Denique hoc teſtimonium ignorare non potuit Vindex, qui ex eodem libro Vindiciarum ſuarum partitionem mutuatus eſt, atque omnia probationum ſuarum argumenta deprompſit.

Ceterùm quam ob rem diutiùs Gerſeniensium codicum examen diſtulerimus, nempe in annum 1671, id fuit in cauſa, quòd alios codices ex Italia, Belgio, Germania, & ſuperiori Auſtria huc accerſivimus ad cauſam noſtram illuſtrandam: qui codices ægrè impetrari, ac nonniſi feriùs in hanc urbem aſportari potuerunt. Sic annorum novemdecim ſpatium ab edita Pariſienſi Sententia ad tempus prædicti examinis intercesſit. Nec ſanè mirum, cùm ſexennium ab examine inſumſerit Vindex cum collegis ſuis, ut ex inferiori Germania pro ſuo Thoma impetraret nihil.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google